



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sol Triplex In Eodem Universo

Hermann, Amand

Sultzbaci, 1676

[Prooemium.]

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95850](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95850)



PARS III.

DE SUPREMO & SIMPLICISSIMO ENTE DEO.

PROOEMIUM.



Revibus dicam, quæ dici poterunt, vel debent viribus Philosophicis, non quòd Metaphysicam dedecet hæc tractare, sed quia citra fidem gloria, & Majestas DEI sufficienter cognosci nequit. Per DEUM autem intelligo Ens aliquod summum, infinitum, à se necessario, bonum, quo melius ex cogitari non potest, ut docet Aug. 1. Doct. Christ. 7. & D. Bernardus lib. 5. de Confid. Principium & finem rerum omnium, Governatorem & Rectorem universi &c. De quo sit

DISPUTATIO UNICA.

DE DEO TER SUMMO, TER OPTIMO & TER MAXIMO.

QUÆSTIO I.

An DEUM esse sit per se Notum?

I. *Explicatur propositio per se nota.*

Advertendum primò: Senfum quæstionis esse, num cuilibet homini, saltem rationi compoti cui proponitur illa propositio Deus est, Deus existit, sit vera & ita evidens, ut non indigeat ulla revelatione, vel discursu ad assentiendum evidenter illi, magis quàm hæc, homo est rationalis. Et hoc est quod voluit Doctor noster in primo dist. 2. q. 2. n. 2. dum ait, quòd propositio per se nota sit illa, quæ ex terminis propriis habet evidentem veritatem, quasi diceret, propositio per se nota est illa, quæ ex sola terminorum cognitione nota est evidenter cognosci à quolibet intellectu apprehendente terminos ejus, ut ejus sunt, ita quòd alio medio non indigeat.

II.

Advertendum secundò: Quæstionem moveri quo ad nos universalissimè, non verò quo ad Deum, nec quo ad Angelos, quibus quomodo notum est Deum existere supra visum est. His notatis

III. *Hæc propositio Deus est, sit vera, est verissima.*

Dico I. *Hæc propositio DEUS est, est verissima.*

Probatum, tum ex Psalmo 52. contra insipientem, qui in corde suo dixit, non est Deus.

Unde Augustinus supra eundem locum, in corde, inquit, hoc dixit, quia vix est, qui ram insipientem blasphemiam coram aliis audeat ore proferre; tum etiam ad Hebr. 11. Accedentem ad DEUM oportet credere quia est; ergò hæc propositio Deus est, est verissima.

Dico 2. *Hæc propositio Deus est, vel Deus existit realiter, conceptu istius termini, sicut nos concipimus, non est per se nota.* Est in re communis, licet in explicacione propositionis per se notæ aliqui altercentur.

Probatum tum Authoritate SS. PP. qui contra Atheos conantur probare existentiam Dei, quod inutiliter facerent, si esset propositio per se nota in sensu supra explicato, tum authoritate S. Augustini, qui in Enarr. Pl. 57. facit multos esse, qui licet ore non dicant, in corde tamen dicant, & qui corde etiam non dicunt, idè solummodo faciunt, quia ore dicere non audent. En verba ipsius: *Difficile est, ut innoteramus in hominem, qui dicat in corde suo non est Deus, tamen sic pauci sunt, ut inter multos timendo hoc dicere, in corde suo dicant, quia ore dicere non audent.* Dein addit rarum genus hominum est, qui dicant in corde suo, non est Deus. Si rarum genus hominum; ergò saltem aliquod est, qui in corde suo dicant, non est Deus, & consequenter non est propositio per se nota; Ex illo genere hominum fuit